



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.  
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

**Contzen, Adam**

**Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI**

An Matris Dei honorem minuendum Christus docuerit?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

QVÆSTIO III.

Cur mater erat ibi?

§. I. ERat mater Iesu ibi, iam ante scilicet inuitata. Syrus non vocat nuptias, sed *ἡμετέρας* Mescheherba, conuiuium. Græcas tamen *γάμος*. Itaque nuptiale conuiuium fuit, forte ex consanguineis quibusdam. Vocata enim fuit vt cognata, vel sane familiaris, nec aspernata est nuptias pauperum, a filio suo humilitatis mutuata exemplum, qui in illis non suæ dignitati, sed nostræ utilitati consuluit, vt Chrysostronus notauit.

Præuenisse matrem ad nuptias probabile est, vt cognatis familiaribus solita caritate adesset, ac ministraret.

QVÆSTIO IV.

Cur vocatus Christus ad nuptias?

§. I. Quidam vocatum eum putant propter matrem, & discipulos propter ipsam. Cause plane diuersæ esse poterunt. Christus vocari voluit, vt no. 10 & gratioso miraculo gloriam suam ostenderet, & crederent in eum discipuli illius, quod etiam consecutus est. Merito autem nuptias honorare venerat, quæ eas considerat, vt notauit Augustinus.

Neque etiam vanum est, voluisse matrimonium sanctitatem ac dignitatem præsentia tueri, contra tot impugnatore, qui postea futuri erant, ita Theodoret. & Beda. Et graui de causa opus fuit coniugij approbatione, non modo contra Gentium & Iudeorum, eo tempore spurcitiem, sed etiam contra secutos deinde Nicolaitas, Eucratitās, Tatianōs, aliosque nuptiarum damnatores.

Cyrillus in Ioan. l. 2. c. 26. Multa, inquit, & magna eodem signo peragebantur. Sanctificabantur nuptie. Maledictio mulierum, initio nostri ortus benedictio, destruebatur. Gloria Saluatoris quasi solis radius effulgebat: discipulorum deniq. fides roborabatur.

Natiuitatis etiam nostræ principium sanctificat, addit vero, miraculi non conuiuij causa venisse.

§. 2. Omnes igitur Christiani nuptias sanctas asserunt, etiam illi, qui se castrarunt propter regnum Dei. Itaque vt etiam catholicis constet, quam impudenter nos hæretici traducant, ponam hic verba Brentij, homil. 22. [Deinde, inquit, consideranda est æditi miraculi circumstantia. Iesus enim ædidi hoc miraculum in legitimis nuptiis, quo haud obscure significauit, se approbare coniugium. Necessarium autem fuit, vt Christus testificaretur, se coniugium in Ecclesia sua approbare. Satant enim vt est hostis omnium diuinarum ordinationum, ita etiam maxime insidiantur ordinationi & institutioni coniugij. Quare miros semper excogitauit artus, quibus legitimum coniugium in Ecclesia Christi aboleat. Et Paulus ad Timotheum scribens, doctrinam prohibentem contrahere matrimonium, vocat doctrinam demoniorum, & spiritum impostorem. Itaque postquam Euangelion Christi vulgatum est in orbem terræ, excitauit Satan initio turpissimam sectam, in qua promiscue & communiter utebantur mulieribus. Hos vocabant Nicolaitas. Post hos oriebantur in itinere Satanæ, qui palam damnabant nuptias, ac sentiebant eas esse pares fornicationibus, ideoque nullam recipiebant in communionem Ecclesie suæ, vtentem coniugio. Hi dicti fuerunt Tatiani, & Encratitæ. Deinde introducta est in Ecclesiam Christi professio Monachorum & asceticorum, qui vouerunt perpetuum calibatum, & abstinentiam a legitimis nuptiis. Hi etsi vtunque pertraherent alijs coniugium, tamen vt dererentur a coniugio, dixerunt virginatatem replere para-

Adami Conzen in Euang. Tom. II.

disum, nuptias autem terram, perinde ac si hi, qui in legitimo coniugio viuunt, non pertinerent ad paradysum. Et desinuerunt coniugium, quod in coniugio esse, sit in carne esse, & cubilibus ac immunditiis letuite, adeoque procul a castitate & sanctitate abesse. Qua definitione, quid, obsecro, aliud significatur, quam se sentire quod coniugium sit impurum genus vitæ, in quo nemo possit Deo placere? Hæc certe ipsissima est doctrina demoniorum, vt Paulus ait.]

Increpet te Deus Satan: Nemo negat pios coniuges implere paradysum. Si quis dicit, coniugium esse impurum genus vitæ, in quo nemo possit placere Deo, Anathema sit.

QVÆSTIO V.

An ideo nuptie æquandæ virginitati, quia Christus interfuit?

§. I. Hoc argumento olim vsus est Iouinianus apud Hier. l. 1. contra Iou. cui accurate respondet.

Magna infamia ille omnia pro matrimonio concepit, quasi non legisset, Christum de virgine non de nuptiis conceptum, & natum.

Argumentum tamen nullius est momenti: non enim si Deus matrimonium probat, idcirco etiam virginitati præfert. Discipulus Christi licem deciderit, cum iust. ait, eum qui matrimonio iungit virginem suam, bene facere, qui non iungit, melius facere, cætera apud Hieronymum legi possunt.

QVÆSTIO VI.

An matris Dei honorem mimendum Christus docuerit?

§. I. Caluinus fidenter sane: [Hæc Christi, ait, Crimine nomine maræni honorem superstitiose in Maria à nobis suehendo, quæ Deo propria sunt, in ipsam transferebant. Sic ergo matrem Christus alloquitur, vt perpetuam ac communem seculis omnibus doctrinam tradat, ne inmodicus matris honor diuinam suam gloriam obscurer. Porro quam necessaria hæc admonitio fuerit, ex crassis scdisque superstitionibus, quæ postea secutæ sunt, plus satis notum est. Facta est enim Maria Regina cæli, spes, vita, & mundi salus. Deniq. eo progressus est vesanus furor vt Christi propemodum nudati spoliis eam ornarent. Cumque hæc execrabiles in filium Dei blasphemias damnamus, maligni & inuidi vocamur à Papistis. imo improbe calumniantur sanctæ virginis honorem hostiliter à nobis impugnari. Quasi vero non habeat quantum illi honoris debetur, nisi Dea fiat: aut hoc illi sit honorificum, sacrilegis titulis ornatam in Christi locum subrogari. Atrocem ergo illi Mariæ iniuriam faciunt, quando, vt mentitis eam laudibus deformant, Deo eripiunt quod suum est.]

Responsione nihil hic opus est, si ex Maria deam quis faciat; eum nos idololatram dicimus, cum sit creatura, humilis ancilla Dei. Aliud nemo Catholicus docet, aut sane aliud docendo iam non est Catholicus. Reginam cæli dicimus, quia maior est cæteris cælestibus, Regis mater, sed infinitis modis filio minor. Sancti omnes in throno sedent & regnant, hoc commune est & matri, sed modo excellentiore, quia mater Dei est. Spes, vita, salus est, non seipsa, sed quæ Christum peperit; hæc enim omnia & principi causa, & instrumentis conueniunt. Spem, vitam, salutem vocamus eos, qui nobis spem, vitam, salutem præbent, quod Deus præstat, & à Deo ordinata causa secundæ, quæ agnoscendo Deas nemo facit. S Bernardus eo pertinuisse Christi admonitionem existimat, vt doceret; eos qui ad officia ecclesiastica vocati sunt,

X 2 non

Terria in ab inq...

Christus non oportere ex affectu parentum, aut cognatorum illa administrare. S. Augustinus valde multus est in matrem non eo, ut ostendat, Christum cum veniret honoratum nuptias, non contempisse matrem. Tract. 8. in Ioan. Certi, ait, sacramenti gratia, videtur matrem de qua sponsus processit, non agnoscere, & dicere illi: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Quid est hoc: ideone venit ad nuptias, ut doceret matres contemni? Vtique ad cuius nuptias venerat, ideo ducebat uxorem, ut filios procrearet: & ab eis quos ut procrearet, optabat, utique honorari cupiebat. Ille ergo venerat ad nuptias, ut exhonoreret matrem; cum & propter filios habendos, quibus reddere honorem parentibus imperat Deus, ipsa nuptia celebrantur, & ducantur uxores? Proculdubio, fratres, lateat ibi aliquid.

Gentiles §. 2. Gentiles olim Christo crimen contempra matris obijciebant. Quasi iam grandior eam abdicasset. Illis respondit olim Iustinus Martyr, resp. 136. Verba non esse contemnentis: nec vero demones, cum clamarent, Quid nobis & tibi? Christum spernebant, sed horrebant, Christus ipse se excusat. Non esse Dei ordinationem, ut statim succurrat, nondum venisse horam, quod non est contemnentis, sed instruentis. Hoc admodum notandum est: Hæreticos qui hic matrem à Christo reprehensam aiunt, id à paganis sumpsisse.

§. 3. Manichæi olim, Mariam Christi matrem negabant. Quod dicat: Quid mihi & tibi mulier? Augustin. tract. 8. in Ioan. Quos ille copiose & eleganter confutat. Eodem enim hoc capite, non semel, sed crebro, matrem appellat.

§. 4. Heluidius virginem negavit, quia Christus mulierem vocat. Respondet Hieron. Nomen esse sexus, non corruptionis. ita Tertullian. lib. de veland. virg. Epiphani. hæresi jr. de qua re alibi disputavi.

VERSUS 4.

Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.

QVÆSTIO I.

An matrem Christus reprehendat?

Reprehensio §. 1. Si in ea culpa fuit, reprehensam esse, mirum non nulla, ubi non est culpa. S. 1. Est: si nihil delicti admisit, species reprehensionis esse poterit, nulla autem reprehensio. Neque enim diuinæ iustitiæ est, non culpanda reprehendere. Nullum in eius petitione peccatum, nisi suspitione mera inueniri potest, ut Cyrillus docet, & Bernard. Rupert. Petere enim vinum pro conuiuio malum non fuit, quandoquidem nec dare malum fuit. Malo autem animo virginem petisse nemo potest, nisi suspiciosus & sinister alienæ mentis interpret iudicare. Cur enim non caritatis potius affectu dicam Virginem rogasse, quam vanitatis? Deinde, nihil tale in ea Christus reprehendit, cur nos suspicemur?

Caluini §. 2. Caluinus quaerit: [Sed cur, inquit, tam duriter à censura. Christo repellitur? Respondeo, quamuis neque ambitio, neque alius carnis affectus ipsam ageret, in eo tamen peccasse quod fines suos excessit. Quod sollicita est de aliorum incommodo, & mederi quoquo modo cupit, hoc humanitatis est, ac virtuti dandum: sed interea se ingerendo, Christi glorio iam obscurare poterat. Quinquam simul notandum est, Christum non tam eius, quam aliorum causa sic locutum esse, maior eius erat modestia, & pietas, quam ut adeo seuera castigatio opus haberet, deinde non peccabat illa sciens & volens. Sed Christus periculo tantum occurrit, ne alio quam oportet trahatur matris dictum, quasi ex eius præscripto miraculum postea ediderit.]

Respondeo: Periculum hic nullum apparet gloriæ Christi obscurandæ, non enim peccat ingerendo se, cum pro aliis intercedit. Cur enim non pro consanguineo, & mater apud filium intercederet? Christus ipse curam vini suscipit, & ut Caluinus ait, suarum esse partium testatur.

Si filius Dei ex miserationis affectu dedit, cur non petere mater potuit?

Certum est B. Virginem misericordia adductam à Christo petiisse pro sponse vinum, unde vero factum ut deesset, incertum, quidam inopinato Christi, & discipulorum aduentu, alij ob pauertatem sponso.

At causas cur vinum deficeret frustra inquirimus. Diuina providentia sic ordinavit, quo medio vltus sit ignoratur, quid culpa vel erroris contigerit in nuptiis, aut quo casu acciderit, nescitur. Non mirum saepe falli calculatorem, aliquorum inopinato accessu, ministri alicuius infidelitate, maiore aliquorum ex inuitatis vel siti, vel auditate, vini etiam vilitate, quo fieret, ut minus aquæ misceretur, effusione vini, alijq; modis, vel singulis vel omnibus contingere defectus potuit.

§. 2. Constituendum est B. Virginem etiam nondum multa miracula viderat, omnia tamen quæ ad Christum pertinebant, cognouisse, Beata enim dicitur, quæ creditur, cum filio etiam tot annis versata, non ignorabat Deum esse. Itaq; non tanquam ignorantem proponit, hoc enim blasphemum fuisset, sed intercedit; Ex quo & hoc doceo, fidem B. Virginis veram fuisse, nec in eo errasse, quod sibi existit mater licitè pro sponsis orare. Accedit igitur eum cui vniuersa possibilia esse nouerat, ut Cyrill. Alexand. Atque ita respondetur quaestioni quam Chrylостomus proponit; cur nunc miraculum petat, cum ante non vidisset? Mater enim scripturæ, & secretorum conscia, iam adesse tempus sciebat, quo gloriam suam esset man festaturus.

§. 3. Falsum itaque est, quod commouitur Caluinus non miraculum petiisse, sed monuisse, vel aliqua conuiuas exhortatione solaretur. Sed verba Christi, & virginis ad ministros contrarium indicant. Cur enim ministris præciperet, ut facerent, quicquid dixerit, si non vinum petebat, sed exhortationem? Quid enim ad ministros pertinebat exhortatio: aut cur hortando magis oneraret verecundiam sponsi, solent discedere taciti, si deesse aliquid aduertant, & distimulare.

§. 4. Multi speciem reprehensionis esse existimant, non reprehensionem. Aug. hic. & tract. 119. l. de fide. Theophil. Antioch. l. 4. alleg. Gaud. tract. 9. de lectione Euang.

Speciem reprehensionis in eo esse, vt indicaret, se tanquam Deum operari miracula, non vt hominem. Deus autem à matre sine matre, qua quidem Deus est. Non ignorabat ista mater, sed tamen tali occasione dici solent etiam illa, quæ notissima sunt, vt coniderentur.

S. Bernardus Christum vt hominem locutum arbitrat, nam significare iam se ea ætate esse, eo que in officio, in quo ex carnis & sanguinis affectu operari nihil oporteat.

Hoc etiam placuisse Bullingero Zvingliano constat, sed minus quam Caluinus sit, deprauato: [Com- pellat autem filium, dicit, mater ex commiseratione quadam, cupiens inopia sponso subuenire filij humanitate & omnipotentia: quam multis iam argumentis experta fuerat in filio. Ideo reuerenter ipsum appellat, nec præscribit quequam, sed admonet tantum. Quasi dicat, Scio quanta polleas virtute atq; potentia, scio quam beneficis & propenso animo sis, in omnes homines, proinde nil tibi præcipio, moneo tantum & indico vinum defecisse. Sunt qui parent matrem humano laborasse affectu, virtuteque filij sibi gratiam]

ADAMI  
112  
+ Euang.  
CIV  
112